



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVI. An in aliis judicandis, aut dirigendis sequi possimus opinionem
minùs probabilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

36.
Solutio 3.

Ad postremum responsio est facillima; si enim opinio minus tuta sit probabilior; qui illam sequitur prudenter se gerit, cum moveatur ratione firmissima: ideoque non se exponit peccandi periculo. At in opinione minus probabilis contingit oppositum. Si tamen opinio sit tuta in se, qualis est sententia probans conjugium, vitamque laicalem, sed

alicui videretur, ob sui conditionem, proximamque discrimen obnoxia peccato, haud dubium, quod is debeat amplecti arctioris vitae institutum, nisi suppetat alia ratio vitandi peccatum. At de his, quæ expedita fuerunt in Prænotatis, nunc attenuate pressequere disseruimus.

CAPUT XVI.

An in aliis judicandis, aut dirigendis sequi possimus opinionem minus probabilem.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Propositio 1. Probatur.
5. 6. & 7. Propositio 2. Probatur.

8. & 9. Propositio 3. Probatur.
10. Obijciendis satisfi.

EXCISA fallax probabilitatis doctrina protulit mala quædam germina, quæ simul cum illa evelluntur ac dissipantur. Ex eo enim, quod unicuique liceat sequi minus probabilem opinionem, collegerunt posse virum Theologum aliis proponere sententiam, quam sibi falsam esse persuadeat, dum illam aliquis doctor propugnet; licere laico varios adire Confessarios, donec inveniat qui respondeat ad ejus libitum, si afficiatur firmo animo nihilgerendi conscientie probabili adversum; debere Confessarium absolutionem impendere poenitenti ducto opinione probabili, quam idem Confessarius improbabilem putat, tamen nolit poenitens suam opinionem deponere. Hæc inter Probabilistas tradidere Laimanus Theol. Moral. lib. 1. Tract. 1. cap. 5. §. 2. Castropalaos lib. 1. Tract. 1. disp. 2. p. 3. Sanchez lib. 1. Decalogi cap. 9. Bannius Tract. IV. q. 13. & cum aliis plurimis Escobarus lib. 2. n. 113. Sunt quidem hæc omnia hæcenus refutata: cum enim debeamus præcepto charitatis diligere proximum sicut nos ipsos, quod vidimus nobis non licere, nec aliis fas erit proponere. Brevi tamen & hæc singillatim excutiamus.

I. PROPOSITIO I. Non licet viro Theologo ex sententia, quam ipse oppugnat, censetque minus probabilem, alteri consilium dare, tamen non ignoret eandem sententiam tanquam probabiliorem ab aliquibus propugnari.

Probatur ex
veteri & novo
Testamento.

Traditur hæc veritas in veteri, novoque Testamento. Malachias enim cap. 2. vers. 7. inquit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Angelus sacerdos dicitur,

quasi nuncius jussorum Dei, & præceptorum, quæ illi Dominus proponit, interpretator ac præco. Non ergo requiruntibus ex ore ejus legem, & quid sibi agendum sit consulentibus, gerit se tanquam Angelus Domini, si nunciat ea, quæ non audit, atque adversus conscientiam suam instruit ignaros. Deinde Apostolus in 11. ad Corinth. cap. 1. ait Apostolici muneris decus esse evangelizare ex fide, & juxta intimos conscientie sensus: *Nam gloria nostra hæc est* (inquit versu 12.) *testimonium conscientie nostræ;* atque hoc testimonium inde comprobatur, quod Corinthiis locutus fuerit *in simplicitate cordis, & sinceritate Dei,* scilicet sincero animo, tanquam Deo spectante atque audiente. Addit versu 17. *Nunquid levitate usus sum, aut quæ cogito secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non?* Levitatem appellat consuetudinem illorum, qui aliud habent in animo, aliud in ore; suadet enim Corinthiis se habuisse sinceram voluntatem ad illos redeundi: & quasi mirabundus, quod ipsum vanum mendacemque haberent, *Nunquid* (ait) *est apud me Est, & Non?* Nunquid ore affirmo, quod negem animo? Exhibet sensum hunc Græca phrasis, qua Paulus utitur, *ὅτι, & ὅχι*, quæ transit etiam, auctore Festo, in proloquium. Qui ergo juxta conscientiam suam non instruit plebem levis est corde, quia habet *Est* in labiis, & *Non* in pectore; atque vituperat Apostolicum ministerium, quia non comprobatur dispensationem doctrinæ testimonio conscientie. Idem Apostolus ad Ephesios IV. 25. jubet, ut loquatur veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra. At veritatem non loquitur, qui illam occul-

occultat, imo aliorum dicta, quæ putat falſa, ut blandiatur diſcipulis peritiſſime, & callidiſſime vendicat.

2.
Probatur ex
exemplis
Evangelicis.

Addamus explicationis, non convitii gratia, Evangelica exempla. Pilatus credidit Chriſtum inſontem eſſe, ac Phariſæorum invidia traditum: illum autem damnarunt Pontifices tanquam blaſphemum, & Scribæ omnes tanquam populi ſubverſorem, & jura Cæſaris invadentem. Ergo ſi fas ſit juxta aliorum opinionem ſententiam dicere, ac deſignare veritatem; Pilatus rectus fuit judex, præſertim cum Chriſtum ſupplicio addixerit, non ad uniſ accuſationem, ſed omnibus legiſperitiſ affirmantibus malefactorem eſſe, & univerſo populo conclamante, *Reus eſt mortis*. Eſt ergo Pilato deterior, qui firmiſſime tenens hoc licitum eſſe, illud illicitum, ob opinionem aliorum, nec communem, nec tanta aſſertione firmatam, adverſus conſcientiam ſuam contrarium pronuntiat. Exemplum iſtud ingenioſe tractat in hac Quæſt. Merbeſius P. 1. Summæ Chriſt. q. 32. At aliud ego proferam nequaquam adverſariis injurioſum. Chriſto explorante fidem Apoſtolorum Mat. xvi. 13. & interroganti, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* nonnulli referunt aliorum opiniones duntaxat, dicentes, *Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Atque ita reſpondentes nec laudari video, nec reprehendi. Dum vero ait illis Chriſtus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus non humanæ intelligentiæ ambiguitate, ſed firma conſeſſione reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; promeruitque ſingularem laudem, quia illum terrena opinio non ſeſellit. Quod ſi reſpondiſſet, *Chriſtus eſt Elias*, juxta aliquorum hominum opinionem, nonne merito fuiſſet reprehenſus? Si ergo à te fidei morumque doctrinam petentibus reſpondeas hoc Baunius docet, illud Vaſqueſius, iſtud Sanctius; recitas opiniones hominum, nec promereriſ laudem, aut vituperium: ſi dicas quod tibi interior ac firma conſcientia proponit, loqueriſ ut Chriſti diſcipulus, & commendandus eriſ juxta conſcientiæ tuæ rectitudinem; ſi contra conſcientiam tuam faciendum aſſeriſ quod ſcripſit Baunius, aut Sanctius, merito te reprehendam.

3.
Confirmatur.

Ac videtur qui contra propriam conſcientiam alios inſtruit imitari conſuetudinem Priſcillianiſtarum, quos Auguſtinus cap. 2. libri contra Mendacium cæteris hæreticis pejores appellat, propterea quod *ipſi ſoli, vel certe maxime*

ipſi reperiuntur ad occultandam ſuam, quam putant veritatem, dogmatizare mendacium. Etenim mentitur quiſquis loquitur, quod falſum exiſtimat, nec non qui verum enuntiat, quod non putat verum, ut idem Auguſtinus demonſtrat in libro ad Conſentium cap. 3. & 4. Si ergo falſam putas ſententiam, quam alius probat, eamque proponiſ à te conſilium petenti, mentiriſ; loqueriſ enim quod exiſtimas falſum. Ex alio capite occultas tuam, quam putas veritatem. Igitur imitariſ Priſcillianiſtas in hoc malo cæteris hæreticis iniquiores: quod ſalva charitate argumentationis cauſa dictum ſit. Faceſſat itaque ab omni fidelium ſocietate illa quorundam doctrina: *Nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti opinionem à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat; quamvis idem Doctor ejusmodi ſententiam ſpeculative falſam certo ſibi perſuadeat, & proinde ipſemet in praxi eam ſequi non liceat.*

Hanc Probabiliſtarum aſſertionem aperte ratio ipſa reſellit. Si ſpectemus conſiliarii officium, eſt inſpicere: quid expediat ei, cui datur conſilium: unde Paulus in 1. ad Corinth. vii. 35. dans conſilia de ſervandis virginibus, Porro, inquit, *ad utilitatem vſuram dico.* Qui enim conſiliarii munus explet ſui cauſa, ut ille, qui apud Martialem aſebat, *Utile quod nobis, do tibi conſilium*; iſ conſiliarius malus eſt, de quo Eccleſiaſticus xxxv. 9. *A conſiliario ſerva animam tuam.* Debet proinde conſilium dare ut vitetur, quod ipſe putat corpori aut animo nociturum. Nemo quippe eſt, qui non horreat aut medicum adhibentem remedia, quæ putat mortem probabiliter allatura, aut negotiatorem hortantem ad ineundam ſocietatem, ex qua timet grave aliquod detrimentum. Atque id magis obſervandum eſt, dum agitur de ſalute animæ, quæ ſi pereat, nihil prodeſt homini, etiamſi mundum univerſum luere-tur. Inſpiciendum præterea, quinam ſit ipſe Conſiliarius: qui in hoc caſu ſummi Dei implet miniſterium, dicente Apoſtolo 11. ad Corinth. v. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Tandem conſideranda ipſa conditio petentis conſilia hominis, ſcilicet Chriſtiani, ignari, veritatem quærentiſ, & Evangelii lege inviolabili obſtricti. Hiſ accurate inſpectiſ, liquido conſtabit Theologum qui adverſus opinionem ſuam alteri dat conſilium, non fungi munere conſiliarii, quia

quia non proponit, quod conscientia sua magis expedit: non se gerere tanquam Ecclesiasticum virum, quia tanquam *exhortante Deo* non loquitur veritatem; & non habere rationem petentis consilia, quia illum non hortatur ad facienda opera juxta judicium suum digna homine Christiano: ac propterea doctrina Probabilistarum tanquam contraria sacris literis, repugnans Evangelicis institutionibus, & adversa rationi, est omnino explodenda. Atque hoc erat theorema nostrum.

5. PROPOSITIO II. Non licet homini
Propositio 2. ignaro varios Casuistas adire, eo animo, ut tandem inveniat benigniorem aliquem affirmantem esse probabile, quod alii improbant, sibi que fas sit eligere quod magis libet.

Probatur 1. Illud enim Ecclesiastici xxxi. 19. *Qui querit legem, replebitur ab ea; & qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea*, uti eruditionem promittit legem scrutantibus ut faciant eam, virosque doctos consulentibus ne in errorem inducantur; ita minatur deceptionem qua in legem impingat ei, qui *insidiosè*, live ut Græcus habet, *ὕποκρίτης*, simulans se querere institutionis disciplinam, dum vestigat quomodo absque conscientia stimulo indulgeat cupiditati, adit humaniores Confessarios, Theologosque præditos singulari erga omnes facilitate. Propterea Apostolus in 1. ad Thesal. 2. vers. 10. ait Deum mittere in operationem erroris, ut credant mendacio, eos, qui *ob charitatem veritatis non receperunt, ut salvificent*: quod Dominus olim comminatus fuerat per Ezechielem cap. 14. At qui opinionem probabiliorē stantem pro lege parvi facientes inquirunt alteram benigniorem libertati percommodam, rejiciunt beneficium Divinæ illustrationis, charitatemque præferentem præceptum Domini humanæ consuetudini. Pessime ergo se gerunt, Deumque provocant, ut tradat illos in desideria sua, & eos mittat in operationem erroris.

6. Quærit Augustinus cur Balaam dignus esset, quem asina corripere; &
Probatur 2. Q. XLVIII. in Num. responderet, Balaam prohibente Domino ne pergeret ad Balaac regem Moabitarum iterum Dominum consuluisse; permittente autem ut iret, statim se vir commisisse, atque ita demonstrasse cupiditatem suam, ac desiderium munerum, quæ cap. xxii. Num. vers. 7. appellantur *divinationis pretium*: ac propterea promeruisse Domini indignationem. *Cur post istam permissionem* (inquit S. Pater) *Dominum*

iterum non consuluit, & post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premere-tur? Ita prorsus agunt qui plures consulunt, ut licite faciant quod libet. Si audiant Dominum prohibentem, iterum consilia petunt: si inveniant permittentem, absque ulla hæsitazione operantur: digni profecto, in quos Deus spargat pœnalem cæcitatem, & quos cum Balaam asina ipsa corripiat.

Hinc si Chrysostomi verbis commonefeci paulo supra, qui negligunt inquirere veritatem, & tanquam in pulvino, in opinione favente libertati quiescunt, ut imitentur eos, qui vestimenta empturi circumeunt unum negotiatorem & alterum, & qui impensam sibi pecuniam propriâ manu ponderant, ac enumerant: nunc inquirentes qui auribus suis serviant, commoneo Apostolicis verbis in 2. ad Tim. iv. 3. *Ne ad sua desideria coarcevent sibi magistros, prurientes auribus*: verbisque Irenæi lib. iv. adv. hæreses cap. 44. *A pravīs Sacerdotibus abstinere oportet, adbarere verò iis, qui Apostolicam doctrinam custodiunt, & cum presbyteri ordine sermonem sanum, & conversationem præstant sine offensa, ad informationem, & correctionem reliquorum*. At secunda thesis facile his expeditur.

PROPOSITIO III. Non debet Confessarius absolutionem impendere iis, qui sequuntur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, illamque nolunt deponere.

Hanc propositionem, quam falso Probabilistæ ajunt ab omnibus, vel fere omnibus reprobari, cum illam propugnent quotquot refellunt probabilissimum, demonstrant argumenta omnia cap. xv. & quæ produximus nuper propositione prima. Nam si nefas est sequi opinionem minus probabilem, neque illam potest prudens Sacerdos tradere eundem consulenti; quo jure tali opinione utetur in administratione Sacramenti, in exercenda potestate sibi divinitus tradita, in Christi munere implendo, in afferendo pusillorum animæ remedio salutis? Eandem tamen propositionem duplici argumento confirmabimus; quorum unum ex prerogativa Confessarii, alterum ex conditione pœnitentis depromitur. In Confessario attendi potest judiciaria potestas, scientia, qua discernat inter lepram, & lepram, ac prudentia per quam debet tanquam spiritualis medicus animorum ægritudini pharmacum adhibere. Judicem

7. Probatur 3.

8. Propositio 3.

Probatur 1.

dicem non poſſe judicare juxta opinio-
nem minus probabilem, liquet ex pro-
poſitione ab Innocentio XI. proſcripta:
Medicum homicidam eſſe, ſi adhibeat
medicamentum quod probabilius cen-
ſet nociturum, indulgeatque ægroto-
rum opinioni, ratio ipſa ſuadet, nec
diffitentur Adverſarii. Spectare demum
ad ſpiritualis Judicis ſcientiam, atque
auctoritatem ut propria ratione quod de-
beat judicare diſcernat, comonſtrat
ratio ipſa judicii, & definitum eſt cap.
Qui vult, diſt. 6. de Pœnit. Cum ita-
que Confeſſarius abſolutionem impen-
dens reo nolenti deponere opinionem
ſuam, exerceat judiciariam poteſtatem
ſpeta conſcientia, non diſcernat intimo
ſenſu, quod debet decernere, & ægro-
ti vulneribus non oleum infundat, ſed
laxativam mulcedinem; indignus pro-
pterea eſt, cui committatur ſpiritualis
Judicis auctoritas, animarumque cu-
ratio.

9. Ex alia parte pœnitens ſiſtere ſe de-
bet ad ſacerdotis tribunal tanquam reus
atque infirmus. Reo autem non con-
venit proferre judicium, neque infirmo
preſcribere medicamentum. Tantum-
modo ſi & ipſe ſit juris ac medicinæ
peritus, poterit humiliter proferre pro-
prium opinionem, eaque ponderata Ju-
dex ac Medicus, ſi noverint meliorem,
illa utentur: cum enim per mentis ju-
diciū alterius ſententiam approbant,
jam non alienam conſcientiam ſequun-
tur, ſed propriam. Atque hoc in pœ-
nitentiæ foro ſi fiat, non improbo. Sed
audiatur Probabiliſtarum flagellum, &
J. CC. decus maximum Fagnanus ſuper
Caput *Innitatis*, de Conſt. num. 304.
*Cum abſolutio Sacramentalis ſit actus ju-
dicialis, & Sacerdos ſit vere & proprie
judez, ad eumque ſpectet diſcernere in-
ter lepram, & lepram, & pœnitentem
abſolvere vel ligare; per hanc doctrinam
Sacerdos non fungitur amplius judicis of-
ficio, ſed ſubditus ordine inverſo aſſumit
ſibi judicium conſcientiæ ſuæ, & eligit
ſuo arbitratu ſententiam ligantem aut ſol-
ventem. Nam cum Sacerdos judicat eſſe
reſtituendum, negotiationem relinquen-*

*dam, aut quid ſimile, ſtatim pœnitens
objicit extare ſuper hoc opinionem pro-
babilem ſibi faventem, & eſſe in ſua ſci-
cultate illum eligere. Unde in foro ani-
mæ Juez cogitur ſequi judicium rei, &
non reus judicium Sacerdotis; quod quam
ſit abſurdum nemo non videt.*

Quæ opponunt Probabilitæ, ex dictis 10.
obviam habent ſolutionem. Inquit Obſcendi-
denegandam non eſſe abſolutionem pœ-
nitenti ſufficienter diſpoſito. ſatisfit.
Verum
ex dictis conſtat hanc diſpoſitionem non
haberi: ſi enim pœnitens novit opinio-
nem ſuam eſſe minus probabilem, aut
pugnare cum alia æqualiter probabili,
& illam tamen velit pertinaciter tenere,
neque vult vitare peccandi pericula, ne-
que in dubiis partem eligere tutiorem.
Si autem adhæreat opinioni ſuæ tanquam
probabiliori, audiens à Confeſſario ſe
in errore verſari, debet veritatem dili-
genter inquirere, ac promittere ſe
omnium partium ſtudio depoſito, da-
turum operam orationi, ac optimorum
librorum lectioni, ac primum legem
Domini divinasque Scripturas, deinde
ſtatuta Conciliorum, decreta Pontifi-
cum, documenta Sanctorum, Theo-
logorum ſenſum, & humanam quo-
que rationem diligentiffime ſcrutaturum.
Quod ſi facere nolit, repellendus eſt,
quoniam non vult intelligere, ut bene
agat. Si affirmat ſe aut ingenium aut
tempus non habere ad hæc expenden-
da; objurgandus eſt, quod cum careat
ingenio & exercitamento doctrinæ, ve-
lit tamen opinionem ſuam proponere
illi, quem Eccleſia ſibi conſtituit judi-
centi, non diſcipulum. Si econtra va-
leat plurimum ingenii acumine, & eru-
ditione, eamque velit oſtentare; po-
terit Sacerdos reſpondere ſe Judicis tri-
bunal conſcendiſſe, non cathedram
diſputantis. Humillime tamen profe-
renti rationem conſcientiæ ſuæ, ſi hanc
Sacerdos percipiat eſſe probabiliorem,
ut dixi, abſolutionem impendat. Re-
liqua Adverſariorum argumenta præce-
denti capite fuerunt rejecta, atque ex-
ploſa.

